



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XV. Proponitur controuersia de inuocatione Sanctorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

## CAPVT XV.

*Proponitur controuersia de inuocatione Sanctorum.*

**D**EMONSTRAVIMVS Sanctos esse colendos, sed quia peculiaris difficultas est de cultu inuocationis, idcirco nunc recto ordine sequitur, vt tractemus de inuocatione Sanctorum.

Duo sunt de hac quaestione errores extremi, veritas est in medio, vt ferè semper esse solet. PRIMVS error est, postulare debere S. Mariam, quæ præcipua Sanctorum est, inuocari, non secus ac Deus inuocatur. ita olim quidam, quos Epiphanius refert & refellit hæresi 78. in fine, & hæresi 79. per totum. ALTER est error, nullum Sanctorum post mortem debere inuocari vlllo modo, quia vel non possunt orare mortui pro viuentibus; vel si possunt, non nisi in genere orant, quia non possunt cognoscere nostras preces, quas ad illos fundimus. hic error multorum est.

PRIMVS omnium videtur fuisse Vigilantius, qui in hunc lapidem offendit. nam quod Alphonsus de Castro in libro de hæresibus, verbo, Sancti, tribuit hunc errorem Eustathio, qui ante Vigilantium vixit, non facillè probari potest. Siquidem Eustathius Basilicas Martyrum contemnebat, & fortè reliquias etiam: at de inuocatione nihil docuit. vide Socratem lib. 2. cap. 33. & Concilium Gangrense. Igitur Vigilantius, vt est in libro S. Hieronymi contra Vigilantium, docebat, post mortem nullius pro altero exaudiri orationem, & ideo sanctos mortuos non orare pro viuentibus; ex quo sequitur, frustra eos inuocari.

DEINDE inuocationem Sanctorum apertius & fortius oppugnarunt tempore B. Bernardi Henriciani, seu Petrobrassiani, & Apostolici, vt refert ipse S. Bernardus serm. 66. in Cantica; & auctor vitæ S. Bernardi lib. 3. cap. 5. Idem paulò post decuerunt Waldenses, vt auctor est B. Antoninus 4. parte, tit. 1. cap. 7. §. 2. Idem postea quidam nomine Cathari, vt auctor est Turrecremata lib. 4. part. 2. cap. 35. summæ de Ecclesia. Idem postea Ioannes Wiclef, vt scribit Thomas Waldensis tom. 4. tit. 12. cap. 108. & seq. Necnon Taboritæ, qui de familia sancti Ioannis Hufs, vt scribit Æneas Syluius de origen. Boëmon. cap. 37.

cap. 35. Quanquam Wiclefus non illicitum esse dicebat orare Sanctos, sed solum inutile & superfluum; dicebat enim videri stultitiam recurrere ad scurras alicuius Principis, quando ipse Princeps est paratissimus per se audire: vel sectari turbidos riuos, quando fons ipse patet: quibus verbis obiter Sanctos scurris, & riuus turbidis conferebat, quod est hæreticorum proprium.

DE NI QVE, hæretici nostri temporis, vt Lutherus in libris ad Waldenses; Melanchthon in Apologia, art. 21. Confess. Augustang; Brentius cap. 24. Confess. Wirtemb. & Calvinus lib. 1. cap. 14 §. 12. & lib. 3. Instit. cap. 20. §. 20. & seq. tria docent de orationibus Sanctorum. PRIMO, ex diuinis literis non haberi, quod Sancti mortui orent pro viuis, ac proinde hoc non esse certum. SECUNDO, si Sancti orant, eos non orare nisi in genere pro tota Ecclesia electorum, non autem pro isto, aut illo in speciali. TERTIO, inutile & illicitum esse inuocare Sanctos, siue Angelos, siue homines, ac petere, vt pro nobis orent: inutile quidem, quia non habent tam longas aures (ita enim Calvinus loquitur) vt preces nostras audire possint: illicitum autem, quia hinc obscuratur gloria Christi, qui est vnicus mediator & intercessor noster.

CAPVT XVI.

*Deteguntur aliquot fraudes & mendacia hæreticorum.*

**H**ABEMVS igitur quæ sit sententia aduersariorum, sed antequam eam refellamus, vtile erit cognoscere breuiter, quibus calumniis & mendaciis Melanchthon & Calvinus eam simplicibus persuadeant.

Philippus loco notato tria mendacia dicit. PRIMO, nos tribuere Sanctis diuinitatē, id est, vim cognoscendi mentium cogitationes. Mendacium est apertum. nec enim vllus Catholicorum hoc dicit, vel dixit vnquam; asserimus enim eos cognoscere nostras preces, non vt sunt in mentibus nostris, sed vt sunt in Deo, quem vident, & qui eas ipsis ostendit.

SECUNDO, ante tempora S. Gregorij non exstate mentionem inuocationis Sanctorum. Paulò liberalior fuit Martinus

GGGggg 2 tinus